Natalicia

Principis generosissimi

Friderici Guilielmi IV.

die XV. Octbr. anni MDCCCLIX

pie celebranda

indicunt

Academiae Albertinae

Provector et Senatus.



REGIMONTI,

TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

Nomina
civium academicorum

qui

praemia quaestionibus literariis superiore anno proposita meruerunt.

Facultas Theologorum

E. F. J. de Ortenberg praemium adjudicavit primarium secundario auctum.

Facultas Ictorum

E. J. H. Steffenhagen praemium attribuit primarium,
C. L. Thiele secundarium.

Facultas Medicorum

Jos. Krieger summo praemio ornandum duxit. Pari honore condecoravit H. G. R. Heimlich.

Facultas Philosophorum

H. M. A. Königsbeck propter dissertationem philologicam impertivit praemium conduplicatum.



Dissertationis

de vocabulis Homericis quae in alterutro carmine non inveniuntur.

PARS TERTIA.

Postquam in altera hujus dissertationis particula gentium urbium regionum epitheta enumerata sunt, quae in Iliade longe frequentiora esse quam in Odyssea apparuit: ad ea pergo qnae singulis heroibus tribui solent ut tamen etiam cum gentium nominibus conjungantur. *Ἀρηΐφιλος* (26, 1) Menelao constanti usu apponitur (18, *ο* 169) praeterea Meleagro I 550 Lycomedi *P* 346, *ἀρχὸν ἀρηΐφιλον* *B* 778, quater Achaei ita vocantur (*Π* 303 apud Seberum excidit). *Ἀρηΐθοος* non positum est nisi genetivo plurali cum *αἰζηῶν* conjunctum, 3,0 (etiam *Δ* 280 fuerunt qui pro *διοτρεφέων αἰζηῶν* legerent *ἀρηϊθόων*). In hoc idem genus cadunt *μενεχάρμης* (et *μενέχαρμος* semel *Ξ* 376) 7, 0, quod etiam Aetolorum epitheton est I 529, *μενεδήϊος* 2, 0 *μενεπτόλεμος* 8, 1 (*γ* 442 *μενεπτόλεμος Θρασυμήδης* qui etiam *K* 255 hoc epitheto ornatur). Alia numquam nationibus attribuuntur, sed singulorum tantum nominibus adhaerent, velut *ἱππηλάτης* (9, 2) in Iliade vocantur Tydeus Peleus Phoenix Oeneus, in Odyssea Nestor *γ* 436, 440. *Ποδώκης* 29, 2 legitur, loci Odysseae sunt *λ* 471, 538 (utrobique *ποδώκεος Αἰακίδαο*). In Iliade Achilli epitheton est (vicies bis),

praeterea de Dolone dicitur *K* 316 *ὅς δή τοι εἶδος μὲν ἔην κακὸς ἀλλὰ ποδώκης*, *Ψ* 262 de equitibus, ter de equis *B* 764 *P* 614 *Ψ* 376. *Κορυθαίολος* (38, 0 apud Seberum desunt *O* 246, 504) ubique Hectoris epitheton est, semel Martis *Υ* 38 (et *X* 132 *Ἐνυάλιος κορυθάιξ*, quae forma non plus semel legitur). *Εὐρυκρείων* vel ut Bekkerus nunc scribit *εὐρὺ κρείων* Agamemno in Iliade decies audit, in Odyssea semel *γ* 248, praeterea *Ἐνοσίχθων* *Λ* 152. Etiam *κύδιστος* in Iliade potissimum celebratur propter frequentatas appellationes *Ἀτρείδη κύδιστε* et *Ζεῦ κύδιστε μέγιστε* (16, 2 — *λ* 397 *Ἀτρείδη κύδιστε ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγάμεμνον* qui etiam *ω* 121 ab interpolatore positus est.) De reliquis vocabulis ex eadem stirpe natis infra dicetur. Haec omnia Iliadi quasi propria esse consentaneum est, quippe ubi tot heroibus inductis tam frequens occasio epitheta adjiciendi facta sit. His adnumerandum *ἰσόθεος* quod non usurpatur nisi in clausula *ἰσόθεος φώς*. In hanc duodecim versus Iliadis exeunt, duo Odysseae *α* 324 *υ* 124; hic de Telemacho solo, illic de pluribus dictum est. Contra vocabula ejusdem vel cognatae significationis *ἀντίθεος* (29, 31) *θεοειδής* (27, 16) *θεοείκελος* (2, 3) utrique carmini communia sunt. Quod partim casu evenisse potest, partim multos locos criticorum arbitrio constitutos esse credibile est, quibus saepe procul dubio optio eligendi data erat, aliis codicibus alia epitheta exhibentibus. Rursus in usu adjectivi *ἀτάλαντος* plurimum differt in utroque carmine (27, 2). Hoc ibi adhiberi notum est ubi heroes cum dis immortalibus comparantur, (*Πρίαμος θεόφιν μήστωρ ἀτάλαντος* *H* 360) maxime cum Jove vel Marte, sed etiam *Ἕκτωρ νυκτὶ θοῇ ἀτάλαντος ὑπώπια* *M* 463 et *οἱ δ' ἴσαν ἀργαλέων ἀνέμων ἀτάλαντοι ἀέλλῃ* *N* 745; in Odyssea bis tantum *γ* 110 de Patroclo et 409 de Neleo.

Neque hoc praetereundum, quod in Iliade multo saepius heroum origines cognationes affinitates tanguntur, unde huic carmini propria *νόθος* 11, 0 (*σκότιος ἅπ. εἰρ.* *Z* 24) et *ἀνεψιός* 5, 0. Et quum duces non sine comitibus ac ministris in pugnam prodire soleant, in Iliade potissimum frequentatum est *θεράπων*, *ὀπάων* autem quod illic sexies positum in Odyssea frustra quaeritur (quater *ὀπάων Ἰδομενῆος* vel *Ἰδ. ὀπ.*).

Iliadis personae pleraeque aut in bello gerendo aut re publica administranda operam ponentes proponuntur (hinc in Iliade celebratur *βουληφόροι* (15, 2) quod Odyssea duobus tantum locis habet *Φαιήκων βουληφόροι ν* 12 *ἀγοραὶ βουληφόροι ι* 112): contra in Odyssea opificia artesque et voluptates quas pace fruentes vitae interponunt non raro memorantur. Hinc Odyssea sola habet *δαιτυμόνας* (0, 9). Quid quod *ἀοιδός* quod illic tricies octies legitur, non plus semel in Iliadem venit idque fortuito? (*Ο* 721 *ἀοιδούς θρήνων ἐξάρχους*; paullo frequentius est *ἀοιδή*). Neque *ἁλιέες* (0, 4 bis de piscatore in simili, bis de nautis) in Iliade sunt neque *συβῶται* (quod vocabulum plus septuagies in Odyssea adhibitum) vel *ὑφορβοί* (0, 18), ut tamen altera forma *συφορβός* (1, 7) in uno simili admissa sit *Φ* 282, ubi Achilleus timere se dicit, ne se fluctus abripiant *ὡς παῖδα συφορβόν*. Semel etiam *συβόσια* in Iliade locum invenerunt in versu ex Odyssea translato *Λ* 678 = *ξ* 101 (praeter hos duos locos non invenitur). Vocabulum significationis latius patentis *βούκολος* ter in Iliade legitur, in Odyssea decies, sed *ἐπιβούκολος* hic tantum (0, 6). Deinde sola Odyssea mendicos habet, unde huic carmini propria *πτωχός* (0, 22) *πτωχεύειν* (0, 5) et complura *ἅπ. εἰρημένα δέκτης προίκτης ἐπιστάτης ἀγυρτάζειν* (nam *ἀγύρτης* deest); praeterea *ἀλήτης* (0, 11) *ἀλήμων* (0, 2) *ἀλητεύειν* (0, 6) *ἄλη* (0, 4), quamquam verbum *ἀλάομαι* cujus significatio latius patet, in Iliade quater legitur. *Ἱκέτης* (5, 11) et *ἱκετεύω* (1, 5) in Odyssea multis certe partibus frequentiora sunt, *ταλαπείριος* (0, 5) attributum *ξεινοῖς* et *ἱκέταις* ab Iliade exsulat. Ut vocabula mendicitatem significantia alteri carmini peculiaria sunt, ita etiam quod mendicorum pannos notat (*ῥάκος* 0, 11) et quod mendicorum aerumnas *δύη* (0, 5) unde *ἅπ. εἰρ. δυάω υ* 195. Quod hoc vocabulum miseriae tabificae in posteriore Odysseae parte frequentatur*), id non magis casui tribuendum, quam quod vox perniciem subito ingruentem notans *λοιγός* (21, 0) Iliadi peculiaris est.

In Odyssea peregrinatores ad oras ignotas appulsi quum hospitaliter accipiuntur tum ab hospitibus benignis tuto itinere domum mittuntur. Quatenus usus vocabulorum ab hac parte argumenti pependerit, exempla monstrabunt: *φιλόξεινος* 0, 4 (semper in formula *ἠὲ φιλόξεινοι καί σφιν νόος ἐστὶ θεουδής ζ* 121 *θ* 576 *ι* 176 *ν* 202;

---

*) *γ* 151 (*πῆμα δύης*) *ξ* 215, 338 *σ* 53, 80.

θεουδής praeterea bis *τ* 109, 364). *πομπεύς* 0, 5 *πομπή* 1, 22 (*Z* 171 *αὐτὰρ ὁ βῆ Λυκίηνδε θεῶν ὑπ' ἀμύμονι πομπῇ*), *πομπεύω* ἅπ. εἰρ. *Υ* 422. Sed *πομπός* quod in Odyssea ter, in Iliade octies positum, quorum exemplorum quinque in librum extremum cadunt, ubi Priamus a Mercurio in castra Graecorum deducitur. Ceterum nihil ex hoc genere memorabilius, quam quod id vocabulum quo nullum in Odyssea frequentius est, *μνηστήρ*, in Iliade ne semel quidem invenitur. Verbi *μνάομαι* significatione nuptias expetendi usurpati Dammius ex Odyssea duodeviginti exempla affert, ex Iliade nullum (*μνηστεύω*, 0, 2 *μνηστύς* ἅπ. εἰρ. *β* 199). Numne ideo haec omnia Iliadis poetis ignota fuisse credemus? praesertim quum *μνησταὶ ἄλοχοι* in Iliade toties inveniantur, quoties in Odyssea (4, 4). Ceterum illa frequens procorum memoratio fecit, ut nonnulla epitheta quae his apprime conveniunt in Odyssea celebrata sint, maxime *ὑπερηνορέων* et *ὑπερφίαλος*. Illud genetivo plurali positum versum terminare solet, quod in Odyssea duodecies factum, quibus locis cum *ἀνδρῶν* vel cum *νέων* conjunctum est (est etiam ubi de Cyclopibus dictum sit): quum tamen *ἠνορέη* Iliadi peculiare sit (4, 1), in qua adjectivum bis tantum invenitur (de Trojanis et de Deiphobo). Contra alterius adjectivi *ὑπερφίαλος* (7, 20) dativus pluralis adhiberi solet (*ὑπερφιάλοισι μεθ' ὑμῖν* ter, *μνηστῆρσιν ὑπερφιάλοισιν* novies legitur in Odyssea). Etiam *ὑπέρβιος* de procis dici solet (2, 8 — ter *ὑπέρβιον ὕβριν ἔχοντες*). Semel audiunt *ὑπερμενέοντες* *τ* 62, quae forma praeter hunc locum non invenitur. Contra fortuito accidit ut numquam vocentur *ὑπερμενέες*, quod epithetum in Iliadi Jovi regibus sociis tribuitur duodecim locis, Odyssea hoc non habet nisi *ν* 205 *υ* 222 (utrobique *ὑπερμενέων βασιλήων*). *Ὑπέρθυμος* 19, 8 apud Homerum numquam videtur in malam partem accipiendum esse, neque unquam de procis dicitur; in Iliade quum singulis heroibus tum Trojanis et Achivis tribuitur. Similis epitheti *μεγάθυμος* numero plurali positi (24, 3) exempla enumeravit Hauptius (in add. ad Lachm. libr. de Il. p. 104). Sed quod id non invenitur nisi cum gentium nominibus conjunctum (uno loco excepto *B* 53): id non minus casu factum arbitror, quam plurima similia, de quibus breviter dixi in Philol. VI. p. 247 et novissime luculenter disputavit Alb. Schuster (über die kritische Benutzung homerischer Adjective. Clausthal 1859).

A viris ad mulieres transeo. Et mortales quidem Iliadis argumento multo pauciores insertas esse quam Odysseae nemo ignorat; deas autem in illo carmine et plures induci et multo saepius, supra significavi. Sed etiam feminae mortales non raro in transcursu memorantur, quum in heroum genealogiis tum aliis locis; velut ubi narratur, quae praeda in expugnatione urbium victoribus contigerit. Hinc explicandum quod nonnulla mulierum epitheta aut Iliadi peculiaria sunt, ut ἐύζωνος 7, 0 (καλλίζωνος 2, 1) ἑλκεσίπεπλος 3, 0, aut certe ibi frequentiora quam in Odyssea: ἠύκομος (de Latona Briseide Helena Thetide Minerva Junone Niobe — ἠυκόμοιο versus terminat 12, 2). De hoc et de καλλίκομος 1, 1 genetivo posito dixi in Philol. IV. p. 234. Ibidem monui καλλιπλόκαμος 4, 2 λιπαροπλόκαμος non plus semel *T* 126 legi. Contra ἐυπλόκαμος in Odyssea ter tanto amplius positum quam in Iliade 7, 21 (praeterea bis ἐυπλοκαμῖδες β 119, τ 542).

In Odyssea matronas regias spectamus rebus domesticis praepositas, unde huic carmini non modo dominae vocabulum proprium est sed etiam reginae: δέσποινα 0, 11 βασίλεια 0, 11. Penelopae epitheton περίφρων 0, 55 constanti usu tribuitur; etiam ἐχέφρων quod in Iliade semel, in Odyssea octies legitur, septies de hac dictum est. Praeterea in Odyssea anus complures inducuntur, in Iliade paucissimae: unde γρῆυς quod illic vicies bis, hic semel (*Γ* 386 de Venere γρῆι δέ μιν εἰκυῖα παλαιγενέι προσέειπεν) tantum adhibitum.

Sed diversitas argumentorum multo latius patet quam adhuc demonstrari potuit, neque omnes sermonis discrepantiae quae inde repetendae sunt, in classes describi queunt. Nam non modo res et personae utriusque carminis inter se plurimum differunt, sed etiam altera fabula ab altera omnino diversa est, ut multa quae hic celebrantur illinc necessario exclusa sint. In Odyssea cardo rei vertitur primum in Ulixi reditu deinde in procorum injuriis ulciscendis. Hinc nonnulla huc vel illuc proprie pertinentia in hoc carmine solo inveniuntur, etsi alia ejusdem generis in Iliade quoque admissa sunt. Velut νοστεῖν et νόστος utrique carmini communia, sed νόστιμος cujus neutrum cum ἦμαρ conjungi solet Odysseae proprium est (0, 12); neque νόστιμον ἦμαρ in sola Odyssea legi magis

mirum est quam νηλεὲς ἦμαρ in Iliade potissimum frequentari (7, 2). Duabus rebus Ulixes in eo carmine in quo primas partes agit, insignis est, primum magnitudine infortunii quocum conflictatur nec tamen succumbit, dein versutia cujus auxilio e summis periculis evadit incolumis. Quae argumenti indoles non nullius momenti fuit in usu horum vocabulorum: κάμμορος 0, 5 (semper de Ulixe) πολύτλας 5, 35 βυσσοδομεύω 0, 7 (quater de Ulixe, semel de Vulcano, bis de procis). Neque hoc fortuito accidisse crediderim quod formula (ἔμοιγε, ἡμῖν δε, τοῖσιν δὲ) κατεκλάσθη φίλον ἦτορ Odysseae propria est (0, 7). Πολύμητις et πολυμήχανος utrique carmini communia sunt. Ad procorum injurias significandas adhibentur ὕβρις et ὑβρίζειν, quorum utrumque in Iliade semel vel bis legitur (*Α* 203 ἦ ἵνα ὕβριν ἴδῃς Ἀγαμέμνονος Ἀτρείδαο 214 ὕβριος εἵνεκα τῆσδε λ 695 Ἐπειοὶ χαλκοχίτωνες Ἡμέας ὑβρίζοντες); at in Odyssea verbum septies, substantivum quatuordecies. Contra ὑβριστής 1, 4 de procis nunquam usurpatum est, sed ter in formula locum invenit ἤ ῥ' οἵ γ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι οὐδὲ δίκαιοι. Quum autem proci eo peccent ut rem alienam comedant, nullo pretio soluto, adjectiva ἀλλότριος et νηποινός in hac narratione non potuerunt non frequentari. Quorum illud in Iliade bis tantum invenitur (*Ε* 214 = *Π* 102 αὐτίκ' ἔπειτ' ἀπ' ἐμεῖο κάρη τάμοι ἀλλότριος φώς *Γ* 298 μάψ, ἕνεχ' ἀλλοτρίων ἀχέων) in Odyssea quindecies, ut tamen octies tantum de bonis a procis comesis dictum sit; apparet igitur hanc discrepantiam partim certe casui esse tribuendam. Ἀλλόθροος autem vocabulum in Iliade inauditum, quatuor locis legitur in Odyssea ubi vel Ulixes vel alii terras peregrinas adiisse narrantur. Sed redeo ad νηποινός quod Ilias ne semel quidem, Odyssea octies habet (quinquies ἀλλότριον βίοτον νήποινον ἔδουσιν, similiter ξ 417, bis νήποινοί κεν ὄλοισθε α 380 β 145). Contra ἄποινα Iliadi propria sunt 28, 0 (quorum locorum octo in Ἕκτορος λύτρα cadunt) quippe ubi toties de redemtione captivorum sermo sit. Huic substantivo adhaerere solet ἀπερείσια (12, 1), ut tamen uno illo loco Odysseae τ 529 et uno Iliadis *Π* 178 cum ἔεδνα conjunctum sit (utrobique πορὼν ἀπερείσι' ἔεδνα). Quod autem ποινή uno loco excepto non legitur nisi in Iliade 10, 1, casu factum esse dixerim (ἀνάποινον semel *Α* 99). Idem valere puto de χώομαι 24, 5; quamquam haec distantia inter summas exemplorum ex argumento ejus carminis derivanda videri potest, quod in ira Achilli versatur. Sed hoc non ita est, nam χώομαι saepius de aliis iratis quam de Achille usurpatum est. At quod λοιγός vicies semel in Iliade

legitur (plerumque λοιγὸν ἀμύνειν vel ἀλαλκεῖν) in Odyssea numquam, id ex parte procul dubio casui tribuendum est (nam ὄλεθρος in Odyssea etiam multo frequentius est 32, 50 ὀλέθριος 2, 0 ὀλοφώιος 0, 4) partim autem argumento Iliadis. Ceterum habet Odyssea compositum ἀθηρηλοιγός λ 128 = ψ 275. Sed quod etiam adjectivum λοίγιος 4, 0 a sermone Odysseae abest, id non potest diversitate materiae explicari quae utrique carmini subjecta est, quum semel tantum Φ 533 de pugna exitiosa dictum sit. Aliter statuendum de usu formulae μέρμερα ἔργα (6, 0) quae ideo Iliadi propria est, quoniam semper res bellicas significat.

Noctium dierumque alternationes multo plures in Odyssea disertis verbis memorantur quam in Iliade. Notum est, in primo libro Iliadis novem dierum spatium quibus exercitus Graecus pestilentia laboret, leviter transiri ac perstringi tantummodo; nec duodecim illis diebus quibus dii apud Aethiopas commorentur aliquid memorabile fieri. Deinde libri ab altero ad septimum unum tantum diem comprehendunt, item ab undecimo ad duodevigesimum quae uno die gesta sunt narrantur. Contra in Odyssea narrationis natura fert ut saepius et solem illuxisse diserte dicatur et noctem ingruisse, quoniam in tot peregrinationibus quae ibi terra marique factae describuntur, haec sola ratio est tempora peregrinando peracta metiendi et narrationem quasi in certa spatia digerendi. Ex hac narrationis indole derivandam esse quarundam formularum frequentationem, in transcursu moneo; quoniam nunc de formulis Homericis quae propriam disputationem requirunt, fusius dicere nolo. Velut hoc facile apparet, quod exempli gratia pono, versum δύσετο δ' ἠέλιος, σκιόωντο δὲ πᾶσαι ἀγυιαί non cuivis narrationis generi convenire, sed peregrinationum tantum descriptionibus: unde Odysseae proprius est, ab Iliade alienus. (cf. *Η* 465 δύσετο δ' ἠέλιος, τετέλεστο δὲ ἔργον Ἀχαιῶν.) Hinc etiam explicandum quod versus in Odyssea vicies recurrens ἦμος δ' ἠριγένεια φάνη ῥοδοδάκτυλος ἠώς in Iliade bis tantum admissus est *Α* 477 *Ω* 789 Haupt l. l. p. 99. Praeterea hemistichium posterius legitur *Ζ* 175 *Ι* 707 *Ψ* 109 *Ω* 785, ubi alii legebant ἀλλ' ὅτε δὴ δεκάτη ἐφάνη φαεσίμβροτος ἠώς. Videlicet si usquam, in hoc genere versuum, in quibus verbis mutatis sensus idem manebat a rhapsodis concin-

natoribus grammaticis multa alia constituta sunt atque a primis poetis fusa erant, unde cavendum est ne numeris exemplorum nimis credamus.

Sed quoniam Odyssea plures noctes habet quam Ilias, pleraque vocabula quae ad quietem nocturnam pertinent illic saepius adhibentur; quamquam ea quae latissime patent (ὕπνος et εὕδω) ut debent utrique carmini communia sunt. Ceterum verbi εὕδω exemplis inspectis clare intelligitur, quanti momenti in usu vocabulorum sit argumentum, nam quum in Iliade tricies legatur, ex his locis non minus duodecim Dolonia continentur, quippe quo carmine solo quies nocturna exercitus Graeci accuratius describatur et irruptio in dormientes facta uberius narretur. Quod autem καθεύδειν id Odyssea quinquies in Iliade semel tantum *A* 611 invenitur (Haupt l. l. p. 100) id casu accidisse persuasissimum habeo; nec minus quod ἀωτέω quidem in utroque carmine semel *K* 159 *κ* 548, ἄεσα autem in altero tantum (0, 6) adhibitum est. Ex reliquis quae huc pertinent enotavi haec: δαρθάνω (παραδ. καταδ.) 1, 6 ἰαύω 4, 9 κνώσσω ἅπ. εἰρ. *δ* 609 κοιμάω (quod saepe translate dictum est) 14, 28, sed κατακοιμάω 3, 0 (alia enim composita non inveniuntur) κοῖτος 0, 9 κοίτη semel *τ* 341 κῶμα *Ξ* 358, *σ* 200.

Posteaquam longe maxima parte vocabulorum huc pertinentium enumerata clare ut opinor apparuit, non orationis sed argumenti diversitatem harum discrepantiarum causam fuisse: restat ut pauca illa recenseam, quorum significationes minime obstiterunt quominus in utroque carmine locum invenirent. Haec igitur mero casu ab alterutro exsulare statuemus: praesertim cum tanta eorum paucitas sit, ut ad probandam sermonis diversitatem nequaquam sufficiant. Quatenus autem casus in usu vocabulorum dominatus sit, clarissime inde intelligitur, quod saepe factum est, ut versus ratio ejusdem vocis alteram formam in Iliade alteram in Odysseam solam admitteret. Velut adjectivum ab Ἔρεβος (3, 6) ductum et quatuor syllabis effertur et tribus (ἐρεβεννός et ἐρεμνός); harum formarum illa hodie in Iliade sola legitur (8, 0) haec in utroque (3, 2). Cur ἑξείης utrique carmini commune sit, ἑξῆς in Odyssea tantum inveniatur (0, 7): ea causa est, quod ibi in versu sexies recurrente adhibendum erat ἑξῆς δ' ἑζόμενοι πολιὴν ἅλα τύπτον ἐρετμοῖς. Νήπιος commune est, sed νηπύτιος (9, 0) et νηπίαχος 3, 0 ab Odyssea aliena

contra *ἀσπαστός* (0, 7) hic tantum legitur, *ἀσπάσιος* illic quoque. Addo alia: *ἱππηλάσιος* 2, 0 *ἱππήλατος* 0, 2; *ἀγακλεής* 5, 0 *ἀγακλυτός* 1, 9 *ἀγακλειτός* 5, 6 (*κλειτός* 14, 1 in Iliade cum *ἑκατόμβη ἐπίκουροι Πανοπεύς* conjungitur, in Odyssea ζ 54 *μετὰ κλειτοὺς βασιλῆας*) *ἀλέγω* 4, 6 *ἀλεγίζω* 6, 0 (contra *ἀλεγύνω* quod non dicitur nisi de coena paranda 0, 5).

Deinde uon raro factum est ut Homerus verbis primitivis in utroque carmine usus sit, iis autem quae inde derivata sunt in alterutro tantum vel vice versa: aut ut de vocabulis que ex eadem stirpe originem ducunt alia hic, alia illic tantum adhibita sint. Quod non e sermonis diversitate, sed e casu repetendum esse nemo non videt. Nonnulla huc pertinentia supra tetigi. Addo alia. Verbum *ἔλπω* et *ἔλπομαι* in utroque carmine invenitur, substantiva *ἔλπις* 0, 2 et *ἐλπωρή* 0, 4 in Odyssea tantum. Idem valet de adjectivo *πινυτός* 0, 6; quum Ilias non modo verbum *πινύσσω* habeat sed etiam substantivum *πινυτή*. *Κῦδος* et quae inde ducuntur utrique carmini communia sunt, praeter *κυδιάω* 4, 0; nec *κυδαίνω* vel *κυδάνω* quod in Iliade novies, in Odyssea plus semel adhibitum est.

Similem rationem in usu simplicium et compositorum saepe obtinuisse vidimus, ut alterum genus vel in hoc vel in illo carmine fortuito locum non invenerit, quum alterum in utroque celebretur. Velut *ἀλαός* 0, 3 *ἀλαόω* 0, 2 *ἀλαωτύς* (semel ι 503) Odysseae peculiaria sunt; sed compositum *ἀλαοσκοπίη* Iliadi, ubi quater redit hemistichium *οὐδ' ἀλαοσκοπίην εἶχε*, quod semel in Odysseam quoque translatum est θ 285. *Δίχα* in Odyssea frequentius est 3, 7 *ἄνδιχα* 5, 0 *διάνδιχα* 4, 0; *δείδω* in utroque usitatissimum, sed *περιδείδω* 7, 0; et sic plurima alia.

Nunc autem ad finem properans iterum iterumque moneo ne in textu tot tantisque mutationibus obnoxio numeris exemplorum plus justo tribuatur. Neque enim veri dissimile est multa quae hodie in altero tantum carmine inveniantur, olim in utroque fuisse. Quod maxime valet de iis vocibus et formulis, quae sensu non mutato facile invicem permutari poterant. *Βαρὺ στενάχων* nos in Iliade sola legimus septies; sed I 16 certe pro *ὣς ὁ βαρὺ στενάχων* alios legisse *ὣς ὅγε δάκρυ χέων* diserte traditur. *Ὄλβος* et quae inde ducuntur hodie in Odyssea multis partibus frequentiora sunt quam in Iliade: *ὄλβος* 3, 8 *ὄλβιος* 1, 14 *ὀλβιοδαί-*

μων Γ 182; sed ut τ 161 olim legebatur *τῷ τε Ζεὺς ὄλβον ὀπάζει*, nunc *κῦδος ὀπάζει*: ita pluribus locis illud in hujus locum irrepsisse potest et vice versa.

Jam eo perventum est ut reliqua vocabula enumerem, in quorum usu argumenti diversitas nullum momentum fecit. Ceterum hoc iterum moneo, ea vocabula quorum in altero carmine pauca exempla sint, in altero nulla, plerumque enotata non esse. Exempli gratia haec pono: *ἀδευκής* 0, 3 *ἄχρις* 0, 4 *ἀποφώλιος* 0, 4 *αὐτόματος* 4, 0 *γέντο* 5, 0 *πευκάλιμος* 4, 0 *πολυήρατος* 0, 4 etc. Sed quae memoratu non prorsus indigna visa sunt, hoc loco ponam. Adjiciam nonnulla quae supra memorare poteram.

ἀθέμιστος s. *-ιος* 1, 6.

ἀλίαστος 7, 0 (quinquies cum *πόλεμος μάχη δμαδος*, bis cum *γόος* et *ὀδύρεσθαι*. *λιάζω* 9, 2.)

ἀλίος 18, 2 *ἀλιόω* 1, 2.

Ἄπτερος 0, 4 (semper in formula *τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος*).

ἄτος 6, 1 (quinquies cum *μάχης* vel *πολέμοιο*, bis *δόλων ἄτε* λ 430 ν 293).

ἑᾱνός et *ἑᾰνός* (*εἱανός*, Buttmann. Lexil. Tom. II. p. 9) 10, 0.

εἶθαρ, 9, 0.

ἐμπάζομαι, 1, 10.

ἐπηετανός 0, 7. (*ἐπετήσιος* semel η 118.)

θεσπιδαὲς πῦρ 7, 1.

θέσφατος 1, 8.

θήν 13, 3.

κάλλιμος 0, 5.

κεδνός 14, 3.

μηχανάομαι 12, 2 (*περιμηχανάομαι* 0, 2).

ὄπις 1, 5.

πουλυβότειρα 14, 3 (semper cum *χθών*, exc. Λ 770 *Ἀχαιΐδα πουλυβότειραν*).

στεφάνη 5, 0 (ter de galea; *στέφανος* Ν 736.)

τύνη 6, 0.

ὕπαιθα 5, 0.

χραισμέω 19, 0. (Buttmann. Lexil. Tom. I. p. 8.)

In his duo esse fateor, quae in altero carmine nusquam inveniri, quum in altero celebrentur, jure possis mirari ἑανός dico et χραισμέω. His fortasse erunt, qui unum alterumve ex iis addant, in quibus equidem non offendo, velut χρῆμα ab Iliade, λοιγός ab Odyssea exsulans. Sed si re vera Iliadis et Odysseae poetae diversa oratione usi essent, ejusmodi discrepantias vicies vel decies certe plures inveniremus. Ut nunc est, etiam has pro fortuitis habere non dubitabimus, neque inter elocutionem utriusque carminis plus interesse fatebimur, quam pro diversitate argumentorum expectandum erat.

